

intra nonnullos menses, a paucis viris ad finem perducta? quam vel complura hominum in eo negotio exercitatorum millia conficere haud valuissent, de qua re superius dictum. Urbis Constantinopoleos mentionem ab homine medii aevi illatam esse, inferius patebit. De ereptis provinciis Britannia, Hispania al. Scheybius si siluisset, melius consultum foret suis rationibus, nulla enim harum provinciarum tum Romanis deperdita erat, et, si fuissent, inserendae tamen Tabulae, non Orbem Romanum tantum, sed universum Orbem Terrae complectenti. Cur desint id suo loco videbimus. Alias magni ponderis difficultates praeterit Scheybius silentio, ne Theodosius detrimenti quid capiat; lectoribus occurrent, dum Theodosio derelicto perquisitionem de aetate Tabulae continuabimus.

Ejus adpectus manifeste docet, nec Constantinum M. nec alium quarti seculi illum praecedentium imperatorum, auctores esse Orbis Picti. Galliarum enim divisionem, in septemdecim provincias a Constantino M., vel patre ejus Constantio distinctarum, Tabula non agnoscit, antiquam exhibens divisionem in Galliam Belgicam, Lugdunensem et Aquitaniam; et ne credas spatio membranae angustiore impeditum delineatorem hasce subdivisiones praeteriisse, singula gentium Gallicarum nomina calamo exprimere sollicita illi est cura. Idem ille Francos quidem agnoscit, nullos tamen in sinistra Rheni ripa, sic ut Batavi in patria antiqua quieti appareant possessores; cum tamen notum sit, Constantio Chloro in Galliis regnante Batavorum insulam subinde a Francis, quos postea Salios consuetudo appellavit, a Chamavis, tandem a Frisiis esse occupatam, Francorumque partem sedes in Belgico sibi paravisse, bello quidem saepius petitos nunquam tamen repulsos in suam Germaniam. His accedit, quod nullam per omnes imperii fines urbem exhibet Tabula, testantem de Constantini ejusque praedecessorum aevo. Itinerarium Antonini in Macedonia Diocletianopolim denominat oppidum priore tempore Edessam nuncupatam, Tabula Edessam habet, nullam Diocletianopolim. In eadem via Constantinopolim versus ducente Itinerarium agnoscit urbem Maximinianopolim, annotans locum anterieus vocatum esse *Pyrsoali*, scribendum fuit *Porsuli*, quod Tabula agnoscit nulla Maximinianopoleos facta mentione. Pulchre vides igitur, candide Lector, aevo quo Diocletianus Maximinianusve imperabant, Orbem Pictum esse antiquiorem. Quodsi tamen hisce non contentus ulterius documentum cupis, adi Pannoniam; cui provinciae in Superiorem atque Inferiorem divisae, teste *Sexto Aurelio Victore*, in Caesaribus c. 40, ab Imp. Galerio media inter utramque inserta est, in honorem uxoris *Valeria* nuncupata. Superiorem atque Inferiorem Pannoniam nobis exhibet Tabula, nullam autem *Valeriam*, ut certe delineatio Galerio sit antiquior; nisi credere malueris, scriptorem sub auspiciis aulae operantem neglecturum fuisse provinciam caesarea auctoritate institutam.

Ascendendum igitur ad magis a nobis remota tempora, nec ob confusas reipublicae res subsistendum nisi apud Aurelianum, qui tranquillitate post triginta tyrannos restituta, restaurator viarum auctorque Tabulae aestimari poterit. Sed repugnat ejus de Dacia provincia consilium, quam trans Istrum remotam atque quotidianis barbarorum incursionibus vexatam sine reipublicae detrimento ulterius defendi non posse intelligens, incolis Romanis in dextram Istri ripam reductis Gothis reliquit incolendam. Cujus rei factae nullum in Tabula indicium, quae summa fide Trajani delineat Daciam cum